



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi  
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus  
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris  
succinctim complectens**

**Klinge, Konrad**

**Coloniae, 1570**

**VD16 K 1309**

2. Quae mala sequantur ex auaritia.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29452**

I.



Post. 1. ad Tim. 5. inquit, Radix omnium malorum auaritia, id est, cupiditas pecuniae seu bonorum temporalium: ex hac radice inuidia, homicidium, mendacium, periurium &c. nascuntur tanquam ex fonte. ad Col. 3. inquit: Auaritia est simulacrorum seruitus, & Ephe 5. dicit, quod sit idolorum seruitus, vbi Apostolus maximè assimilat auaritiam idololatricam, & hoc eam ob causam secundum Chrysostomum homil. 15. super Hebr. quia auarus deridet comminationem Dei Matt. 19. Facilius est ire camelum &c. Contemnit patrem, matrem, propinquos, benefactorem &c. nullum curat, nec ipsum Deum timet, saltè ut habeat lucrum & pecuniam. Matth. 6. Vbi thesaurus tuus, ibi & cor tuum: nulla fiducia in Deo, sed in nummis. & ideò dicit Chryl. quod vnus auarus peior est mille dæmoniis. Nam Diabolus solum suo malo laborat, sed auarus communis ærumna est ac damnus totius ciuitatis & patrie. facit enim per suam auaritiam, vt frumenta, vina, elocationes domorum & omnia fiant cari precij, vnde rectè increpat eos Sapiens Eccl. 10. Auaro nihil est scelestius. Ideò & Christus inquit, Lucae 12. Cauete ab omni auaritia, quia non in abundantia cuiusquam vita eius est, ex his quæ possidet. & Christus dixit similitudinem. &c.

2.

Secundò, multa mala sequuntur ex auaritia, sicut inquit Apostolus, 1. Tim. 6. Qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem & laqueos Diaboli, & in desideria multa & inutilia & nociua. Porro, hæc mergunt homines in interitum & perditionem. sic Iudas auaritie laqueo fuit illaqueatus, vt proderet Dominum, Matth. 26. ita & gentilis Poëta dixit,

Æneid. 6.

*Vendit hic auro patriam. &c.*

Amor enim pecuniae perdit regna, ciuitates, corrumpit Iudices & Iuristas. Sic Balaam captus fuit laqueo auaritie,



auaritię, vt malediceret filijs Israēl, Num. 22. hinc etiam  
 accepta pecunia sicarij occidunt homines, nō ob  
 odium, sed ob lucrum. Sic meretrix Dalila Samsonē  
 fortissimum prodidit Philisteis ob pecuniā, Iudi. 16.  
 Sic auaritia corrumpit falsos testes, quemadmodum  
 fuerunt duo falsi testes producti contra Naboth, cu-  
 ius vineam concupiuit rex Achab, & obtinuit iusti-  
 tia Iezabelis, 3. Reg. 21. Et quis omnia mala recensere  
 potest auaritię? ideo dixit ppheta Ps. 118. Inclina cor  
 meum Deus in testimonia tua, & non in auaritiam.  
 Apostolus 1. Timoth. 6. inquit: Nihil intulimus in  
 hunc mundum, & nihil hinc auferre possumus. Ideo  
 est moderanda cupiditas habendi. est enim auarus si-  
 milis talpę, qui cum cæcus sit, modò hic facit cumu-  
 lum, modò illic facit: & cum moritur, relinquit mul-  
 tos hinc indè cumulos terrę: sic auarus hic extruit  
 domum, illic domum: hic cumulat pecuniam, mox  
 illic: hic habet negociationem, modò illic habet: &  
 postea moritur, & relinquit alienis tot cumulos di-  
 uitiarum, tot domos, & ipse in puluerem reuertitur:  
 & timendū est, ne cum diuite epulone anima eius per-  
 petuò damnetur. Quamdiu autem auarus viuuit, sem-  
 per eget, & ingratus est erga Deum quasi nihil habe-  
 ret: & cum satis habeat, tamen omnia sibi deesse vidē-  
 tur: & ipsi tam quod habet, deest, quàm quod non  
 habet: eo enim quod habet, vti non potest. vndè fit vt  
 Deo gratias agere non possit. Sapiens dicit Eccl. 6.  
 Vidi sub sole malum, & quidem frequens apud homi-  
 nes: vir cui dedit Deus diuitias &c. & ibidem 4. cap.  
 Vnus est, & secundum non habet, non filiū, non fra-  
 trem, & tamen laborare non cessat, nec satiantur ocu-  
 li eius diuitijs, nec recogitat, dicens: Cui laboro, &  
 fraudo animam meam bonis &c?

Tertio, Christus inquit Luc. 6. VAE vobis diuiti-  
 bus qui hic habetis consolationem vestram. & Iaco.  
 5. Agitè nunc diuites, (ironia est) lætamini in volu-  
 ptate